


THE LIBRARY OF CONGRESS

PHILOLOGUS AEGYPTIACUS

SIVE

EXPLICATIO VOCUM AEGYPTIACARUM E SCRIPTORIBUS GRAECIS ROMANISQUE COLLECTARUM.

PHILOLOGUS AEGYPTIACUS

SIVE

EXPLICATIO VOCUM AEGYPTIACARUM E SCRIPTORIBUS GRAECIS ROMANISQUE COLLECTARUM.

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS ADOLPHUS UHLEMANN

PHILOSOPHIAE DOCTOR AA. LL. M. SOCIETAT. LITTER. ORIENT. GERMAN. SOD.

LIPSIAE,

LIBRARIA DYKIANA.

MDCCCLIII.

Haud ingratum fore existimavi viris litterarum Graecarum Romanarumque studiosis, si voces Aegyptiacas ab auctoribus classicis memoratas atque explicatas e lingua Coptica, veterum Aegyptiorum linguae progenie interpretari conarer. Quae enim cum Scripturae Sacrae versione satis sit nota, comparata cum veteris Aegypti monumentis hieroglyphicis atque demoticis, plane ac distincte probat, linguam veterem atque recentiorem Aegyptiacam, exceptis paucis levioribusque litterarum vocalium vel consonantium propinquarum mutationibus, quas infra memoremus, parum aut nihil potius differre. Quod maximopere quidem mirandum; etsi enim hujus terrae domini, Persae, Graeci, Romani, Arabes lingua non minus quam scriptura inter sese diversissimi fuere, Pharaonumque scriptura a Coptica procul recedit, tamen lingua fuit eadem. Copti enim, cum Christiana fide imbuti, libros sacros in linguam suam vertendos curarent, litteras Graecas acceperunt, paucas tantum, quarum sonos inter Graecas litteras desiderarunt, ex signis hieraticis, demoticisque Aegyptiacis retinuerunt. Quae quidem sex imagines hieroglyphicae in textibus Copticis hac potissimum forma utuntur, sonosque adscriptos exprimunt:

1. ϣ (Schei) littera *s* fortius ad sibilum elata.

2. ϥ (Phei) cum Graecorum *φ* cognata.

3. ϧ (Chei) respondet *κ* et *χ* Graecorum, ex. gr. *Καλασίριες* (Herod. II, 164), ϧⲉⲗϣⲓⲣⲓ.

4. ϩ (Hori) Graecorum spiritus asper, ϩⲣⲱⲙⲏ = Ῥώμη, Roma.

5. ϭ (Ghima) *gh*, quam litteram Graeci in nominibus propriis per *κ* et *χ* efferre solent.

6. ϫ (Giangia), *dg*, Arabum ج, cf. الجمل, ϫⲁⲙⲟⲩⲗ.

Quae quidem sex litterae cum viginti quinque Graecorum et littera ϯ, ⲧ sub lineolam producta, quae adhaerente vocali ⲧⲓ sonat, novum alphabetum Copticum triginta et duarum litterarum composuerunt, omnesque sonos linguae veteris Aegyptiacae amplectuntur.

In linguae Copticae dialectis tribus, Thebana, Memphitica et Basmurica litterae vocales maximum et gravissimum distinctionis sunt signum, ita ut voces Copticae sine vocalibus scriptae cuique dialecto possint adnumerari, nomen enim *regis* Thebaïce est ⲉⲣⲣⲟ, Memphitice ⲟⲩⲣⲟ, Basmurice ⲣⲣⲁ. In lingua vetere sacra, quae omnes linguae dialectos mihi videtur esse amplexa, vocales nunquam fere respiciuntur, plerumque eas videmus plane omissas vel neglectas. Rex enim, cujus nomen demotice est *ara*, in hieroglyphis pingitur serpente (*οὐραῖος*, uraeus Plin. XXXII, 11) litteram consonantem ⲣ exprimente.

Quae porro litteras consonantes attinent, sunt haec. Lingua sacra simplicior saepius plures linguae Copticae sonos uno signo complectitur. ⲃ, ⲡ, ⲫ, ϥ in sacris monumentis haud distinguuntur, una littera ⲡ loco earum ponitur, eodem modo ⲣ et ⲗ, ⲧ et ⲑ, ⲕ et ⲭ, ϩ et ϧ et alias linguae Copticae litteras dialectus sacra nondum dignovit, sed iisdem signis pingere solebat. Quodsi igitur his de dialectorum discrimine praemissis voces Aegyptiacae veteres a scriptoribus Romanis atque Graecis explicatae in lingua Coptica servatae et fere eadem forma iisdemque sonis expressae inveniuntur, maximum atque suavissimum inde poterimus usum atque fructum percipere, cum satis superque hac

disquisitione probetur, primum linguam veterum Aegyptiorum per triginta fere saecula parum aut nihil esse mutatam; deinde rerum Aegyptiacarum auctores, Herodotum, Diodorum, Plutarchum, Horum Apollinem, alios haud temere de vocibus Aegyptiacis judicasse, sed ipsius linguae fuisse peritissimos, et quibus fidem habeamus quam maximam, esse dignissimos. At priusquam singulas voces explicabimus, pauca de ipsius terrae nomine praemittamus.

De Aegypti nominibus.

Tria potissimum Aegypti veteris sunt nomina notissima, quae ita fere sunt explicanda:

1. In Homeri carminibus *ἡ Αἴγυπτος* (Od. IV, 351 et XIV, 257) est terra, *ὁ Αἴγυπτος* fluvius Aegypti (Od. IV, 355 et XIV, 258), qui in Hesiodi theogonia v. 338 jam nomine *Νεῖλος* vocatur. Aegyptum autem jam antiqua dialecto sacra hujus terrae nomen fuisse, satis probatur Inscriptione Rosettana, quae his potissimum signis utitur, quibus terram Ptolemaeis subjectam significet:

1. ⲔⲎⲠⲈ *camera, fornix* et *mons* ⲦⲰⲞⲨ = ⲔⲠⲦ, ⲔⲀϨ ⲠⲦⲀϨ, *terra dei Ptah.* Neo-Arab. قِبْطِي (Copticus, Aegypticus), Aethiopibus *Gobzo.*
2. ϪⲰⲂⲈ *folium* et *mons* = ⲔⲠⲦ, ⲔⲀϨ ⲠⲦⲀϨ.
3. ⲔⲀϤ *filum* et *mons* = ⲔⲠⲦ, ⲔⲀϨ ⲠⲦⲀϨ.

Quod quidem nomen (Kah-Ptah) Graeci sine dubio praemissa syllaba *Αἰ* (fortasse *αἶα* = ⲔⲀϨ *terra*) in *Αἴγυπτον* mutaverunt.

2. *Χημία* (Plut. de Is. et Os. c. 33), ebraic. אֶרֶץ חָם, copt. ⲕⲏⲙⲓ; Aegypti nomina ab una sine dubio radice originem ducunt, et quidem teste Plutarcho loco excitato a nigro terrae colore, qui coptice ⲕⲏⲙ, ⲕⲁⲙ vocabatur, vel fortasse ut aliis placuit, propter calorem (ϧⲉⲙⲓ, ϩⲏⲙ *calidus*). In monumentis idem nomen invenitur litteris consonantibus ⲕ et ⲙ scriptum, ita in Inscriptione Rosettana l. X. leonis ungula (ϫⲙⲏ), ita ut ϩⲣⲁ ⲕⲏⲙⲉ, *κατὰ τὴν Αἴγυπτον* sit vertendum, et lin. XIV, ubi Aegyptii (ⲕⲏⲙⲟⲩⲓ̈) loti arundine (ⲕⲁⲙ) sunt significati; quibus locis conferas Obeliscum Romae in „piazza del popolo" positum, ubi terram Aegyptum *libri* (ϫⲱⲱⲙⲉ) imagine expressam videmus.

3. מָצוֹר, מִצְרַיִם, arab. مِصْر, syr. ܡܨܪܝܢ. — Forma singularis מָצוֹר, مِصْر est Aegyptus in universum, proprie *terra occlusa* (מצר *circumdare, occludere*), cum undique vel montibus altissimis vel maribus circumdetur. Melius mihi autem placet interpretatio Aegyptiaca ⲙⲉⲧⲟⲩⲣⲟ *regnum, terra regibus subjecta.* Dualis numerus, quem Ebraei et Syri servarunt in nomine מִצְרַיִם et ܡܨܪܝܢ duas Aegypti partes notissimas respicere videtur inferiorem et superiorem, quas et veteres Aegyptii et Copti recentiores distinxerunt. Coptis enim Aegypti inferioris nomen est ϩⲏⲧ (*septentrio* cf. Peyr. 367, b.) superioris nomen autem ⲣⲏⲥ, ⲙⲁⲣⲏⲥ (*meridies*), quae nomina et in hieroglyphis veterum Aegyptiorum occurrunt cf. I. Ros. V. Pingitur enim inferior pars (ϩⲏⲧ) planta bulbosa (ϩⲧⲓⲧ = ϩⲧ) et superior (ⲣⲏⲥ) arundine (ⲥⲁⲣⲓ = ⲣⲥ, ⲥⲣ). Quod quidem superioris Aegypti nomen etiam in lingua Ebraica servatum est in voce פַּתְרוֹס (Gen. X, 14; Jer. XLIV, 1;

Ez. XXIX, 14 etc.), quae Coptice explicata est ⲫ-ⲑⲏⲟⲩ-ⲣⲏⲥ *ventus meridianus (australis)* id est *terra meridiana* (Mittagsland).

Distinguuntur tandem in I. Ros. VIII, XII, XIV:

regiones superiores et *inferiores*, cum imagines MR cum signo pluralis numeri ⲙⲏⲣⲟⲩⲓ̈ *regiones* denotent, signa autem (ϩⲉⲣⲓ diversorium = ϩⲣ) ϩⲣⲁⲓ *superior*, (ⲃⲁⲕⲓ urbs = ⲃⲕ) ⲃⲱⲕ, ⲥⲃⲟⲕ *inferior* significent.

Quae omnia confirmata invenies in nostra Inscriptionis Rosettanae interpretatione, quae jam sub prelo est et propediem prodibit.

A. A.

Adipson. Plin. VI, 29 „asperum montibus et inops aquarum"; copt. ⲀⲦⲠⲤⲰ, ⲀⲦ *sine* et ⲠⲤⲰ *potus.* Graeca enim haec vox esse non potest, cum ἄδιψον e contrario *siti egens* esset vertendum.

Ἀθύρ, mensis Aegyptiorum. Hesych. Copt. ⲀⲐⲰⲢ tertius est anni mensis, hierogl. Hathôr [hierogl.]; *tertius* (I I I) *mensis* ([hierogl.]) *veris* (ϢⲰⲘ [hierogl.]).

Ἄθυρι i. q. *οἶκος Ὥρου.* Plut. de Is. et Os. 56. — Copt. ⲀⲨⲎⲦ *domus*, ⲰⲢ *Horus.*

Ἀθώθης, *Ἑρμογένης.* Eratosth. ap. Georg. Sync. Est autem Hermes Aegyptiace ⲐⲰⲐ. Cf. Sanchun. in Euseb. praep. ev. I, 9.

Αἴγυπτος, Aegyptus terra. Copt. ⲔⲀϨ-ⲠⲦⲀϨ *terra dei* Ptah. Cf. supr.

Alabastrites; et lapidem quem Alabastriten Aegyptii vocant. Plin. hist. nat. XXXVII, 5. Coptice ⲀⲖ-ⲞⲨⲂⲀϢ est *lapis albus* Ebraeorum voci שַׁיִשׁ (שׁישׁ) respondens. Cf. *Ἀλαβάστρων πόλις.* Ptol. Geogr. IV, 5 p. 287. Wilb.

Alachroes, nomen Lotophagorum. Plin. V, 4. Coptice ϨⲀⲖϪ *dulcis* et ϧⲢⲈ *esca.* Quare nomen Lotophagorum Aegyptium recte *Halgiachroes*, inde Alachroes. Quos Herodotus mutata littera *l* in *m* et *r* in *l* *Μάχλυας* dicit IV, 178.

'Αμβρής· *ἔστι δὲ παρὰ τοῖς ἱερογραμματεῦσι καὶ βίβλος ἱερά, καλουμένη ἀμβρής, δι' ἧς κρίνουσι τὸν κατακλιθέντα ἄῤῥωστον, πότερον ζώσιμός ἐστιν, ἢ οὔ.* Horap. hierogl. I, 38. Copt. ⲈⲘⲒ *scientia* et ⲂⲰⲢ, ⲂⲰⲖ *discrimen*, quare *ἀμβρής scientia discriminationis.*

'Αμένθης, Hades. Plut. de Is. 29. Apocal. VI, 8; coptice ⲀⲘⲈⲚⲦⲈ, ⲀⲘⲈⲚϮ *Orcus.* Teste Plutarcho vox composita est ex ⲀⲘⲞⲚⲒ *tenere* et Ϯ *dare*, sed mea sententia potius e חֹם *obscurus*, Ⲛ̀ (not. gen.) et ⲐⲞ *orbis terrarum.*

'Αμμᾶς, οὕτως καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. Pallad. Lausiac. Hist. cap. XLII, p. 960. — ⲘⲀⲀⲨ *mater* et ⲘⲀⲤ *gignere*, quare ⲘⲀⲨ-ⲘⲀⲤ *mater gignens.*

'Αμοῦν nomen Jovis et vox acclamationis. Herod. II, 42; Plut. de Is. c. 9. ⲀⲘⲞⲨⲚ significat coptice *gloriam, celsitudinem*, quare nomen Aegyptiacum fuit Jovis, hier. ⲀⲘⲚ; ⲀⲘⲞⲨ *veni, ἔρχεν.* Cf. Joh. I, 47; IV, 16.

'Ανωϊφίς, ἐπίκομος. Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 190. Coptice Ⲛ̀ϤⲰⲒ *crinitus.*

Apis, bos sacer; fortasse coptice ⲀⲠⲈ-ⲈϨⲈ *caput bovis* vel *primus, princeps boum.*

'Απάππους, μέγιστος. Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 195; Fortasse vox ⲀⲠⲈ (cf. Apis) reduplicata: *princeps principum.*

'Αρπεδονάπται. Democr. ap. Clem. Alex. Stromm. I, 15. Coptice ⲈⲢⲠⲈ *templum* et ⲚⲈⲂⲎⲦ *intelligere;* sunt igitur templorum arcanorum interpretes, *ἱερογραμματεῖς*, cf. Auctoris *de lingua et litteris* V. Aeg. pag. 28.

'Αρούηρις, ὃν καὶ πρεσβύτερον Ὧρον ἔνιοι καλοῦσι. Plut. de Is. 12. Har *Horus* et ϨⲞⲨⲈ *natu major.*

Ἀρσαφής, τὸ ἀνδρεῖον. Plut. de Is. 37. Coptice ⲉⲣ *facere* et ϫⲫⲟ *progeniem* significant, quare ⲉⲣ-ϫⲫⲟ (erg'pho) est *τὸ αἴτιον τῆς γενέσεως.*

Ἄσμαχ vel *ἄσχαμ, αὐτόμολοι* Herod. II, 30. Coptice ⲟⲕⲉⲙ *deficere,* ⲟϣⲙ̀ *defector.*

Ἄστυ. Diod. Sicul. I, 28. Coptice ϣⲟⲧ (ⲧⲟϣ) *arx;* hierogl. 'ST.

Asphut id. q. asphodelos. Apul. Reg. 32. Quatremère: ⲁⲥⲡⲟⲩ-ⲑⲱⲟⲩⲧ *la langue* de Thot.

Athera. Olyram arincam diximus vocari. Hac decocta fit medicamentum, quod Aegyptii atheram vocant etc. Plin. hist. nat. XXI, 25. — *ἀθήρα, βρῶμα διὰ πυρῶν καὶ γάλακτος ἡψημένον παρ' Αἰγυπτίοις* Hesych. v. *θήρα.*

Ἄτωρ, ἡ μελία ὑπὸ Αἰγυπτίων. Hesych.

Αὔασις. Strab. II, 130; Herod. III, 26. Coptice ⲟⲩⲉϩ *habitatio,* ⲥⲁⲁ, ⲥⲉ *bibere;* unde *αὔασις* locum significat, ubi bibi possit.

Ἄχι, ἄχει LXX, *juncus, calamus,* Ebraice אָחוּ, copt. ⲁϫⲓ. Cf. Hieron. in Jes. lib. VII, tom. IV, col. 291. Vall.

B. Β.

Βάβυς i. q. *Τυφῶν.* Hellanic. ap. Athen. XV. *Τυφῶν* omnium malorum, quae Aegyptios vexant, habetur auctor furibundus, inde coptice ⲃⲁⲁⲃⲉ, ⲃⲁⲃⲉ *fatuus, vanus, insipidus* vocatur.

Βαΐ i. q. *ψυχή.* Horap. Hierogl. I, 7. Coptice ⲡ-ⲁϩⲉ *vita, anima.*

Βαιήθ· καλεῖται γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις ὁ ἱέραξ βαιήθ κ. τ. λ. Horap. Hierogl. I, 7. Coptice ⲃⲁⲓⲧ (bait) *accipiter.*

Βάϊς ramus palmae. Porphyr de abstin. IV, 7. Coptice ⲂⲀⲒ̈ *ramus* palmae, graece *βαΐον*.

Βάλ id. q. myrrha. Plut. de Is. 79. Coptica vox est ϢⲀⲖ, sine dubio contracta ex ⲂⲀⲖ et littera Ϣ intensiva (ϢⲂⲀⲖ), graece *μύῤῥα*, *σμύρνα*.

Βᾶρις, navicula; *τοῦτο γὰρ δή οὔνομά ἐστι τοῖσι πλοίοισι τούτοισι*. Herod. II, 96. Diod. Sicul. I, 96. Aeschyl. Suppl. v. 884 etc.; coptice ⲂⲀⲢⲒ, ebraice עֲבָרָה. Haec vox videtur origine sua esse ebraica, cum Ebraeorum עֲבָרָה (ebarah) a verbo עָבַר *(transgredi)* derivanda proprie navem trajiciendo flumini idoneam significet.

Basaltes. Invenit eadem Aegyptus in Aethiopia quem vocant *basalten*, *ferrei* coloris atque duritiae. Plin. XXXVI, 7. Ferrum autem ab Ebraeis בַּרְזֶל vocatur, inde sine dubio *barsaltes*, *basaltes* initio *lapidem ferreum* significabat, cum et a Plinio ita explicetur. Ebraeorum autem בַּרְזֶל, Syrorum ܦܪܙܠܐ fortasse Aegyptiacam originem sapit, cum ultimae hujus vocis syllabae זֶל Coptitarum ⲀⲖ *lapis* respondeat. Cf. *Alabastrites*. Aes a Coptis haud dissimili nomine ⲂⲀⲢⲞⲦ vocatur, ita ut facile ex compositis contractisque vocibus ⲂⲀⲢⲞⲦ-ⲀⲖ Ebraeorum *barsel* exsistere potuerit.

Βέβων· *σημαίνει δὲ τ' οὔνομα κάθεξιν ἢ κώλυσιν*. Plut. de Is. c. 49 et 62. Cf. *Βάβυς*.

Βούβαστις . . . κατ' Ἑλλάδα γλῶσσάν ἐστι Ἄρτεμις. Herod. II. 137. Urbs ei sacra Deltae ⲂⲀⲤϮ, dea ipsa in hieroglyphis saepius ⲠⲀϢϮ legitur. Quod quidem nomen significat fortasse ⲠⲀϢ-Ϯ: *quae venationem tradidit* (hominibus).

Βούβαστος· *οἱ δ' Αἰγύπτιοι βούβαστον τὸν αἴλουρόν φασι.* Steph. Byz. *Felis* ab Aegyptiis ϢⲀⲨ vocabatur, at deae Artemidi (*Βούβαστις*) sacrata, ipsius nomine interdum nominata esse videtur. Inde haec Stephani interpretatio.

Βούσιρις i. q. *'Οσίριδος τάφος*. Diod. Sicul. I, 88 et Plut. de Is. et Os. c. 21. Est coptice ВН *monumentum* (ВН-ΡΑΜΑ, *πυραμίς, monumentum altum*); Osiris scribitur Ⲟϣⲓⲣⲓ (*πολυοφθαλμός*), quare ВН-Ⲟϣⲓⲣⲓ est *monumentum sepulcrale Osiridis*.

Βουτοί, loca, in quibus mortui sepeliuntur. Hesych. Coptice fortasse ⲀⲂⲎⲦ *mansio, domus, sepulcrum* vel ВН *monumentum* et ⲦⲰⲞⲨ *mons* (abet-tu vel be-tu) cum mortui in cavernis montium deponerentur.

Γ. G.

Gabbaras. „Aegyptii morem habent siccare corpora et quasi aenea reddere, Gabbaros vocant." Augustin. de div. serm. CXX c. 12. Fortasse coptice ⲞⲨⲀⲂ-ⲂⲀⲢⲞⲦ *corpora sancta* quasi *aenea*, cum aes a Coptis ⲂⲀⲢⲞⲦ vocaretur. Cf. *Basaltes*.

Geon . . . *καὶ ποταμὸν Γηών, τὸν καλούμενον Νεῖλον* cf. Georg. Sync. I. pag. 82. 90. Dind. (*Γειών*). Idem sine dubio est nomen, quod Moses (Gen. II, 14) גִּיחוֹן vocat, a Septuaginta interpretibus semper voce יְאֹר (ⲒⲀⲢⲞ *flumen, Nilus*) redditum.

Giris, cognomen Nili. Plin. V, 9. Cf. יְאֹר Gen. XII, 10. Coptice ⲒⲞⲢ, ⲒⲀⲢⲞ *flumen* et *κατ' ἐξοχήν Nilus*.

Γοσορμίης, *ὅ ἐστιν 'Ετησιπαντός*. Eratosthen. ap. Georg. Syncell. I, 180 Dind.?

Δ. D.

Διαβιῆς . . . . . *οὗτος ἑρμηνεύεται φιλέταιρος*. Eratosthen. ap. Georg. Sync. Conferantur voces Copticae ϯⲒⲎⲂ *socius* et ⲒⲎⲤ *studere;* quae compositae hominem significant, qui amicis

studet, i. e. *φιλέταιρον*. Etiam in tabulae Abydenae nomine decimo septimo, quod huic regum Eratosthenicorum quarto respondet, magnoque cum dolore nostro partim deleto, litterae ultimae BIS adhuc discerni possunt.

E. E.

Εἰκτών?

Ἑρμῆς, cf. Jambl. de myst. VIII, 5. Mercurii planetae et Dei nomen Graecum *Ἑρμῆς* proprie Aegyptiacum esse videtur, cum et in hieroglyphis saepissime occurrat. Significant voces Aegyptiacae ϩορ-μαι *ab Horo dilectum* vel *Hori amantem*. Jamblichus contra interpretatur: *τό, τε τοῦ θεοῦ ὄνομα παρέδωκε τὸ διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου.*

Ἑρμοτυμβιεῖς, μοῖρα τῶν μαχίμων ἐν Αἰγύπτῳ· οἱ αὐτοὶ καὶ Λαβαρεῖς. Steph. Byz. *Ἑρμοτύβιες* Herod. II, 164. Sunt fortasse ϩαρεϩ ⲙ̀ ⲧⲉⲃ *custodientes claustra* i. e. ea exercitus pars, quae castella patriae custodiebat atque defendebat, dum juvenes fortissimi atque validissimi (*Καλασίριες*) in campos descendebant et in aequo pugnam ciere solebant.

Ἔρπις· ἔστι δὲ ἕρπις Αἰγυπτιστὶ ὁ οἶνος. Eustath. ad. Odyss. IX, 359. Coptice vinum congruenter ηρπ, ηλπ vocatur.

Ἐρτωσί· τοῦτο δὲ σημαίνει παντὸς γένους ζῳογονίαν καὶ πάσης οὐσίας καὶ ὕλης κατὰ φύσιν καὶ δύναμιν διατακτικὴν ζῳογονικήν. Cedrenus I, pag. 295, 296. Bekk. ⲉⲣ-ⲧⲁϣⲟ coptice *multiplicatorem, auctorem*que cujusvis generis significat et sine ullo dubio nomini *Ἐρτωσί* respondet. —

Z. C.

Zaphanat Phaaneca, cognomen Josephi in Aegypto; vid. *Ψοτομπανήχ*.

Ch. vid. X.

Ζύθος· *κατασκευάζουσι δὲ καὶ ἐκ τῶν κριθῶν Αἰγύπτιοι πόμα* .... *ὃ καλοῦσι ζύθος.* Diod. Sicul. I, 34. Strabo XVII, p. 824. Accepit haec cerevisia hordeacea sine dubio nomen suum a vocibus Aegyptiacis ⲧⲥⲱ *potus* et ⲓⲟⲧ *hordeaceus,* ita ut potus hordeaceus (Gerstentrank) eo significatus sit.

Η. η.

Ἦθ· *τὸ δὲ ἦθ καρδία.* Horap. Hierogl. I, 6. Cf. *βαιήθ.* Cor et in hieroglyphis et in lingua coptica recentiore ϩⲏⲧ vocabatur.

Ἠμῆφ .... *τῶν ἐπουρανίων θεῶν ἡγούμενος.* Jambl. de myst. VIII, 3. Sine dubio vitiose hoc nomen scriptum est *Ἠμῆφ* pro *Κνῆφ,* de quo conferas Plut. de Is. et Os. c. 21.

Θ. ***Th.***

Thalamus, loca in quibus nubentes succedunt et incubant. Isid. Orig. XV, 13. Graece *θάλαμος.* Conferantur Ebraeorum אוּלָם et Coptitarum ⲉⲗⲁⲙ, quae voces, adjecto articulo feminini generis ⲑ, Graecorum voci *θάλαμος* originem dederunt.

Θέρμουθις, aspidis genus. Aelian. de nat. anim. X, 31. Coptice ⲑⲉⲣ-ⲙⲱⲟⲩⲧ *mortem inferens,* vel ⲑⲉⲣ-ⲙⲟⲩⲧ-ϩⲟ (Thermutho) *mortem inferens malo.*

θήρα· „moris est Aegyptiorum *θήραν* etiam *far* vocare, quod nunc corrupte atheran nuncupant.“ Hieronym. Quaest. in Gen. II, 543. vid. *ἀθήρα.*

θίνιλλος, ὅ ἐστιν αὐξήσας τὸ πάτριον κράτος. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, p. 265 Dind. Auctore Jablonskio *Θίνιλλος* pro *Θίριλλος* legendum et ⲑⲏⲛⲓ-ⲁⲗⲟⲩ *παῖς αὐξήσας* vertendum esse censeo. Nam in tabula quoque Abydena (no. 38) nomen,

quod huic Eratosthenis regi vigesimo quinto respondet, legitur: *rex augens* (prosperans) *potentiam patris.*

Thmuis (ϑμοῦϊς), quod interpretatur hircum Hieronym. in Jovinian. II, 6. Cum vero Coptice hircus ⲂⲀⲈⲘⲠⲈ aliisque nominibus vocetur, erravit sine dubio Hieronymus, hanc vocem interpretaturus; ⲘⲞⲨⲒ enim in lingua Aegyptiaca potius *leonem* significat. Cf. Jabl. Opusc. II, 89. 90. —

Thot, Mercurius, Aegyptiis omnium legum, litterarum bonarumque artium auctor. Cicero de nat. deor. III, 22. Graece *Θώϑ*, *Θωὺϑ*, *Τάαυτος*. Sanchunj. in Euseb. praep. evang. I, 9. De hieroglyphis, quibus hoc nomen depingitur, cf. Leps. „Todtenb." cap. 90, quod agit „*de Thot, scriptore hominum,*" tab. L, ubi Thot *dominus urbis Schmun* (Hermopolis) vocatur etc. Nomen ejus fortasse originem duxit a voce ⲦⲞⲦ *manus,* cum auctor atque inventor fuisse dicatur rerum artiumque omnium bonarum, quae manibus conficerentur; vel a verbo ⲐⲰⲦ *fiducia,* propter fiduciam, quam in eo posuit Osiris, cum ad expeditionem suam notissimam profecturus atque Aegyptum relinquens Isidi uxori consiliatorem atque imperii socium eum traderet.

Θυοσιμάρης κραταιός, ὅ ἐστιν ἥλιος. Eratosthen. ap. Georg. Sync. vid. *Οὐοσιμάρης.*

H.

Ham, nomen Aegypti. Vid. *Kam* et *Cham.*

Horus. Apud Aegyptios Apollo, qui est Sol, *Horus* vocatur. Macrob. Sat. I, cap. 21, p. 327 Zeune. Confirmatur hujus dei nomen millies in monumentis hieroglyphicis litteris HR scriptum. Similes ejusdem radicis voces sunt ⲢⲎ *sol,* אוֹר *lumen* (אוֹר הַשֶּׁמֶשׁ), in hieroglyphis HUR *dies* etc.

I. I.

Ἶρι idem quod *ὀφθαλμός*. Plut. de Is. et Os. c. 10. Inde oculi imago in hieroglyphicis inscriptionibus acrophonice modo litteram I modo R significat, et in nomine Osiridis semper altera syllaba *iri* oculi imagine depingitur. Cum autem linguae Copticae haec vox plane sit ignota, sed potius ⲃⲁⲗ semper loco ejus inveniatur, haud temere existimabimus, vocem *ἶρι* antiquam postea oblivioni datam, cum verbo Coptico ⲉⲓⲉⲣϩ *videre*, Ebraico רָאָה cohaesisse, praesertim cum ⲓⲟⲣϩ *pupilla oculi*, ϩⲣⲁ *vultus*, *facies* et aliae ejusmodi voces Copticae eandem habeant et testentur originem.

Ἶσις· τὴν δὲ Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν. Diod. Sicul. I, 11. Herod. II, 156. Coptice ⲁⲥ, ⲉⲥ *antiquum* significat. De Graeca quadam hujus vocis interpretatione haud inepta cf. Plut. de Is. et Os. c. 2. 3. 60, qui Isidis non minus quam Typhonis nomina Graeca esse perhibet, alterum a Graeca voce *ἴσημι scire*, alterum a *τύφος superbia*, *elatio animi* ducendum.

K. K.

Καίμιν vid. *Μίν*.

Κάκεις· καὶ οἱ κάκεις δὲ ἴδιόν τι ἄρτου γένος, στατικὸν κοιλίας Strabo XVII, p. 824. Coptice panis nominatur ϭⲁⲗϭⲉ, neque minus ϫⲱϫ et ⲕⲟⲩⲕⲉ.

Καλαϊνόν· καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα Καλαϊνόν. Hesych.?

Καλασίριες· οἱ δὲ μάχιμοι αὐτέων καλέονται μὲν Καλασίριές τε καὶ Ἑρμοτύβιες Herod. II, 164. Sine dubio sunt ii, qui lingua Coptica ϧⲉⲗϣⲓⲣⲓ *adolescentes* nominantur. Cf. *Λαβαρεῖς*.

Καλάσιρις, χιτὼν θυσσανωτὸς Αἰγύπτιος. Poll. Onom. VII, 16 cf. Suid. et Herod. II, 81. — ⲕⲁⲗ enim est vestis cujus-

dam Aegyptiacum nomen; de ceteris conferas Jablonskii Opusc. 102 et Rossii Etymol. Aeg. 78. 79.

Καλλιστεῖς, Κυλλήστις. Αἰγύπτιοι δὲ τοὺς εἰς ὀξὺ ἀνηνεγμένους ἄρτους καλλιστεῖς ὠνόμαζον. Poll. Onom. VI, 11. Cf. Herod. II, 77 et Athen. X, pag. 419 etc. — Coptitis est ϭⲱⲱⲗⲉ *panis purus*, adhuc infermentatus; ϣⲱⲧⲉ autem fermentum, quare ϭⲱⲱⲗⲉ-ϣⲱⲧⲉ *panis fermentatus;* cujus varia nomina a diversis auctoribus relata sunt *καλλιστεῖς, κολλῆς, κολλήστις, κυλλάστις, κυλλήστης, κυλληστία* etc.

Kam id quod *Cham* q. v. Jabl. Opuscul. I, 404.

Κάνωβος . . . τόδ' οὖν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλοῦν ἔφη χρυσοῦν ἔδαφος. Aristid. orat. 48. Est enim Coptice ⲔⲀϨⲒ-ⲚⲞⲨⲂ *terra auri* (Goldland).

Κίκι, planta Aegyptiaca oleifera. Herod. II, 94. Diod. Sicul. I, 34 cf. Jabl. Opusc. I, 110. Nota est Coptitis planta ⲔⲒⲔⲒⲦⲒⲞⲚ nominata, eadem sine dubio vox, adjecta Graeca terminatione, et ⲔⲨⲔⲒ granum Alcheruae. Cf. Kircheri Scal. Magn. Rom. 1834. 4.

Κνήφ . . . ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον. Plut. de Is. et Os. c. 21. *Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν.* Euseb. praep. evang. I, 10. Est enim ⲬⲎ ⲚⲞⲨϤⲒ e lingua Aegyptiaca vetere explicata *essentia bona* (Agathodaemon). Cf. Inscript. Rosett. lin. V.

Κόμμι. Athen. II, pag. 66. *Τὸ δὲ δάκρυον (ἀκάνθης) κόμμι ἐστί.* Herod. II, 96. Jabl. Opusc. I, 113. Coptice ⲔⲞⲘⲎ, a nobis *Gummi* vocatur. Cf. Kircheri Scal. Magn.

Κόρσεον, κόρσιον (ὅμοιον τῷ πεπέρει τράγημα), vox quaedam Coptitis incognita. Diodor. Sicul. I, 10 et Strabo XVII.

Κοσύμβη . . . περίζωμα Αἰγύπτιον. Coptice ϨⲰⲤ *funiculus?*

Κυλλάστις. *Αἰγύπτιοι δὲ τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον Κυλλάστιν καλοῦσιν.* Athen. III, pag. 114 vid. *Καλλιστεῖς.*

Κῦφι, thuris cujusdam genus ex undecim aromatibus compositi. *Μῖγμα μὲν ἑκκαίδεκα μνῶν συντιθεμένων.* Plut. de Is. et Os. cap. 80. Similis est vox Sahidica ϣⲱⲃⲉ *thus*, fortasse a verbo ϣⲱⲃ *mutare*, *differre* ducenda, et *thus ex diversis rebus compositum* significans.

Λ. L.

Λαβαρεῖς id. qd. *Ἑρμοτυμβιεῖς (μοῖρα τῶν μαχίμων ἐν Αἰγύπτῳ).* Stephan. Byz. Sine dubio compositum est hujus legionis nomen ex vocibus Aegyptiacis ⲁⲗⲟⲩ et ⲃⲉⲣⲓ, ita ut *juvenes adolescentes* eo significentur. Cf. *Καλασίριες* = ⳉⲉⲗϣⲓⲣⲓ *id.*

Μ. M.

Μανέρως· καλοῦσι δὲ τὸ ᾆσμα Αἰγύπτιοι τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ Μανέρων. Pausan. IX, 29, pag. 766, cf. Herod. II, 79, Plut. de Is. et Os. c. 17. Athen. XIV, pag. 620. — Re vera *canticum* Coptice ϩⲱⲥ vocatur, unde ⲉⲣ-ϩⲱⲥ *canere* et hoc dei nomen fortasse ⲙⲁⲓ-ⲛ̀-ⲉⲣ-ϩⲱⲥ *amatorem cantilenae* designat, cum Plutarchus confirmet, eum artis musicae inventorem fuisse (*πρῶτον εὑρεῖν μουσικὴν ἱστοροῦσιν*).

Μάρης, ὅ ἐστιν Ἡλιόδωρος. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 181 Dind. — Coptice ⲙⲁⲓ-ⲣⲏ *amatus a Sole.* Et tabula Abydica (No. 48) hujus regis nomen duabus litteris **M** et **R** notat.

Μεθύερ (cognomen Isidis) *σύνθετον ἔκ τε τοῦ πλήρους καὶ τοῦ αἰτίου.* Plut. de Is. et Os. cap. 56. Utramque vocem lingua Coptica servavit, cum ⲙⲉϩ *plenum*, ⲑⲣⲉ *facere, efficere* significet.

Μεισί, ὄνομα τοῦ ὄφεως παρ' Αἰγυπτίοις. Horap. hierogl. I, 59. Coptice *serpens* ⲘⲒⲤⲒ vocatur.

Μέμφις . . . οἱ μὲν ὅρμον ἀγαθῶν ἑρμηνεύουσιν. Plut. de Is. et Os. cap. 20. ⲘⲀⲚ enim Coptice *adpellere navem*, ⲚⲞⲨϤⲒ *bonum* significat. Alii minus recte *τάφον Ὀσίριδος* interpretantur, fortasse ⲀⲘⲞⲨⲚ-ⲂⲎ (Menbe) *Ammonis sepulcrum* (monumentum).

Μένδην (Μένδης) ὡς τραγοπρόσωπον. Suid. cf. Herod. II, 46 (*καλέεται δὲ ὅ τε τράγος καὶ ὁ Πὰν Μένδης*). Etymol. Magn. s. v. *Μενδήσιος*. Antiquum et sacrum hoc hirci nomen in lingua Coptica non servatum est, cujus loco ⲂⲀⲈⲘⲠⲈ vel ⲔⲒⲎ leguntur. Panopolis Aegyptiaca ⲬⲘⲒⲘ aut ⲬⲘⲒⲚ vocabatur.

Μενεφῶθ. Τῶν γὰρ ὑδάτων οἱ θῆρες, οὓς καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι μενεφῶθ, Ἕλληνες δὲ κροκοδείλους. Chron. Paschal. I. p. 293 Dind. Cohaeret sine dubio hoc crocodili nomen minus vulgatum cum ⲈⲪⲰⲦ *testudo*, at quo modo, definire non audeo.

Μευρὴς Φιλόσκορος. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 205 Dind. Si Eratosthenes recte interpretatus est, hoc regis Aegyptiaci nomen compositum est ex ⲘⲀⲒ *amare* et ⲀⲖⲞⲨ (ⲀⲢⲞⲨ) *puella*; equidem potius existimaverim, idem esse nomen quod *Μάρης*, quod videas; cum Tabula Abydena *Μάρης* et *Μευρὴς* (No. 41 et 48) iisdem signis hieroglyphicis scripserit.

Μήνης, ὃς ἑρμηνεύεται αἰώνιος (non *Διόνιος*). Euseb. pag. 18 ed. Scal. et Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 171 Dind. Vox Coptica ⲘⲎⲚ enim *perseverare* significat.

Μίν. Τὸν μὲν οὖν Ὧρον εἰώθασιν καὶ Μὶν προσαγορεύειν, ὅπερ ἐστὶν ὁρώμενον Plut. de Is. et Os. c. 56. Probatur et confirmatur hoc Hori cognomen hymnologii Taurinensis loco (145, 75), quo litterae MN syllabice depictae Nisi Horo sacrati imaginem antecedunt. Itaque *καὶ Μίν* potius legendum esse censeo, dum alii *Καίμιν* praetulerunt, licet hanc vocem interpretari ne-

quiverint. Litterae autem consonantes MN vel ⲘⲀⲈⲒⲚ *insignem* vel ⲀⲘⲞⲨⲚ *gloriosum*, vel ⲘⲞⲞⲚⲈ *nutricem* vel alia significare possunt, ut exempli gratia in nomine saepius in scarabaeis neque minus in tabula Abydena obvio ⲢⲀ-ⲘⲞⲞⲚⲈ-ⲦⲎⲢ *Sol nutrix mundi* (omnium).

Μνευΐς, bos Osiridi sacratus. Cf. Diod. Sicul. I, 21; Ammian. Marcell. XXII, 14 et Jabl. Panth. Aeg. IV, 4.

Mothmulhim, portulaca, Graecis andrachne. Apul. cap. 103, p. 280. Ack. Similiter coptice ⲘⲈϨⲘⲞⲨϨⲒ *portulaca*.

Μοσχερῆς, *Ἡλιόδοτος*. Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 195 Dind. vid. *Μάρης*.

Μούθ, cognomen Isidis (*σημαίνουσι δὲ μητέρα*) Plut. de Is. et Os. c. 56. Mater Aegyptiace ⲘⲀⲨ vocabatur, cumque in lingua antiqua articulus feminini generis Ⲧ, Ϯ nomini adjiceretur, qui in lingua Coptica praeponitur, matris nomen *mau-t* Coptice ϮⲘⲀⲨ fuisse videtur.

Μῶ· τὸ γὰρ ὕδωρ μῶ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσιν. Joseph. Antt. Jud. II, 9, 6. Philo de vita Mosis II, pag. 83. Coptice ⲘⲰⲞⲨ aqua. Cf. Suid. *μῶϋ*.

Μωϋσῆς, מֹשֶׁה, *ὁ ἐκ τοῦ ὕδατος ληφθείς*. Joseph. Antt. Jud. II, 9, 6; II. Mos. 2, 10. Vocem *μῶ aquam* significare, jam supra diximus; ⲞⲨϪⲈ est Coptice *servare*, inde ⲘⲰ-ⲞⲨϪⲈ *ex aqua servatus*. Cf. Jabl. Opusc. I, 152—157; Rossii Etymol. Aeg. 127—129.

N. N.

Nesi. Excerptae sunt dies V, quas *ἐπαγομένας* Graeci vocant, Aegyptii prisca lingua *Nesi*. Fortasse ⲚⲈ-ϢⲀⲒ *dies festi* vel ⲚⲈ-ϢⲀⲒ dies natales, cum Aegyptii his diebus Osiridem, Haruerem, Isidem etc. natos esse perhiberent, eosque festos agerent. Cf. Herod. II, 4.

Neton. Apud Heliopolim taurum Soli consecratum, quem Neton cognominant, maxime colunt. Macrob. Sat. I, 21, pag. 329 Zeune. — Heliopolis ab Aegyptiis ⲰⲚ vocabatur (Ez. 30, 17: אֹן), cum Coptice *lux* ⲞⲨⲈⲒⲚ appellaretur, inde sunt ⲚⲈⲦ-ⲰⲚ *tauri* Heliopolitani.

Νέφθυς cf. Plut. de Is. et Osir. c. 12; Plat. Tim. p. 21. III, 2, p. 12 Bekk., hieroglyphice semper NBT scribitur, atque inde fortasse ⲚⲎⲂ-ⲐⲞ *dominatrix orbis terrarum* verti debet, vel *dominatrix ultima* ⲚⲎⲂ-ⲐⲀⲎ, cum quinta ac novissima fuerit inter numina illa notissima, quae quinque diebus epagom. nata fuerant. Fortasse hanc ob causam Plutarchus loco citato narrat, hanc deam *finem* omnium rerum esse putari (*ἣν καὶ Τελευτὴν ὀνομάζουσιν*).

Νίτωκρις, ὅ ἐστιν Ἀθηνᾶ νικηφόρος. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, p. 195 Dind. Nemo enim nescit, Graecorum Athenae Aegyptiorum Neitham respondisse (Arnobius adv. gentes IV, pag. 137 Salm.); victoria autem a Coptitis ϪⲢⲞ vocabatur, inde est ⲚⲈⲒⲐ-ϪⲢⲞ Neitha victrix. Cf. Tabul. Abydic. no. 22.

Νομός. Τριάκοντα μέρη, ἃ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι νομούς. Diod. Sicul. I, 54. At non Aegyptiacum nomen est *νομός*, quod quisquam existimare posset, sed veluti apud Graecos *νόμος lex* et *νομός praefectura* eadem voce signantur, ita quoque apud Aegyptios ⲦⲰϢ *lex* et ⲦⲀϢ *nomus, praefectura* simili nomine vocabantur. Cf. Plin. hist. nat. IV, 9.

Νοῦν. Νεῖλον δὲ ἀνάβασιν σημαίνοντες, ὃν καλοῦσιν Νοῦν, ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέον. Horap. Hierogl. I, 21. ⲚⲞⲨⲚ est Coptice *abyssus, profundum,* et ita antiquissimis temporibus Nilum fuisse nominatum, apparet ex inscriptionibus hieroglyphicis, ubi undae ejus rude depictae semper litteras N, NN exprimunt. Quae Horapollo hanc vocem interpretaturus adjecit verba „*ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέον,*“ Graeca mihi videtur esse hujus nominis explicatio, cum *νέον* contracto *εο* in *ου νοῦν* fingeret. —

O. ο.

Obeliscus. „Radiorum ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Aegyptio." Plin. hist. nat. XXXVI, 8. Erravit sine dubio Plinius, cum *ὀβελίσκος* Graecum sit nomen notissimum, proprie *vericulum* significans, cujus formam obeliscus imitari solebat. Probant porro inscriptiones hieroglyphicae cujusque generis, obelisci imaginem semper fere literas MN, exempli gratia Ammonem syllabice expressisse, unde facili opera colligi potest, nomen ejus fuisse ⲘⲀⲈⲒⲚ *monumentum* (Denkzeichen) in lingua Coptica usitatissimum.

Οἴφιν, μέτρον τὶ τετραχοίνικον Αἰγύπτιον. Hesych. Coptice legitur ⲞⲒⲠⲈ *modius* (ⲈⲠ *numerare*), qui voci Ebraicae אֵיפָה respondet (II. Mos. 16, 36). Septuaginta *οἰφί, οἰφεί* vertunt.

Ὄμφις, cognomen Osiridis. *Εὐεργέτην ὁ Ἑρμαῖός φησιν δηλοῦν ἑρμηνευόμενον.* Plut. de Is. et Os. cap. 42. Sine dubio ϨⲀⲘ-ⲚⲞⲨϤⲒ *vir bonus, beneficus.* Conferas Leps. Todtenb. Tab. L: „*Osiris est deus beneficus*" etc.

Ὄνουφις. Σέβουσι δὲ Αἰγύπτιοι καὶ μέλανα ταῦρον καὶ καλοῦσιν Ὄνουφιν αὐτόν. Aelian. de nat. anim. XII, 11. Nomen hoc voci *Ὄμφις* cognatum ⲞⲨⲞⲚ-ⲚⲞⲨϤⲒ, *qui est bonus* vel ⲞⲨⲈⲒⲚ-ⲚⲞⲨϤⲒ *lux bona* verti potest.

Ὄσιρις id. qd. *πολυόφθαλμος* Plut. de Is. et Os. cap. X. — Vox enim Aegyptiaca ⲞϢ, ⲰϢ *multum* significat, et oculum non solum ⲂⲀⲖ sed etiam ⲒⲢⲒ (רָאָה) fuisse nominatum, monumenta probant hieroglyphica, in quibus oculi imago modo litteram J modo R acrophonice exprimere solet. Cf. Diod. Sicul. I, 11: *εἶναι τὸν μὲν Ὄσιριν πολυόφθαλμον.*

Οὐαιέ. Φωνὴν δὲ μακρόθεν βουλόμενοι δηλῶσαι, ὃ καλεῖται παρ' Αἰγυπτίοις οὐαιέ κ.τ.λ. Horap. hierogl. I, 29. Coptice ⲞⲨⲀⲒ Romanorum *vae* respondet.

Οὐοσιμάρης (non *Θυοσιμάρης*) *κραταιός, ὅ ἐστιν ἥλιος.* Eratosth. ap. Georg. Sync. — Tabula Abydena (no. 37) hunc ipsum regem „*Sol pugnator, victor*“ nominat, quae verba Eratosthenis interpretationi congruunt. — Nomen contra *Οὐοσιμάρης* verbis Aegyptiacis ⲱϣⲉ-ⲙⲁ-ⲣⲏ *pugnator a Sole amatus* explicandum esse existimo; *Μάρης* enim eodem teste Eratosthene est *Ἡλιόδωρος Solis donum.*

Οὐραῖος ... ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ βασιλίσκος (*regulus*) Hor. hierogl. I, 1. Coptice enim *rex* ⲟⲩⲣⲟ vocatur, adjecto articulo masculini generis ⲡⲓ-ⲟⲩⲣⲟ, *Φαραώ*, פַּרְעֹה, *Pharao.*

Οὐσσώς ... ποιμὴν καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον. Joseph. ap. Euseb. praep. evang. X, 13. Etiamnunc Coptice *pastores* ϣⲟⲟⲥ, ϣⲱⲥ, ϣⲱϣ vocantur. Cf. Joseph. contr. Ap. I, 14.

Π. P.

Pacin .... in oppido Hermunthi magnifico Apollinis templo consecratum Soli colunt taurum, ***Pacin*** cognominantes, insignem miraculis convenientibus naturae Solis. Macrob. Sat. I, 21 pag. 329 Zeune. Coptice fortasse ⲡ-ⲁϩⲉ-ϫⲏⲛ *bos sincerus, purus.*

Philela .... Latronum more, quos Philetas Aegyptii vocant. Senec. epist. 51. Cf. Ebraeorum פְּלֵתִי.

Πίρωμις (homo) *δέ ἐστι κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν καλὸς κἀγαθός.* Herod. II, 143. Homo Coptice ⲣⲱⲙⲓ, cum articulo masculini generis ⲡⲓⲣⲱⲙⲓ vocatur; Herodotus autem hanc vocem interpretaturus sine dubio vocibus ⲫⲣⲓⲱⲟⲩ *pulcher* et ⲙⲏⲓ *bonus, justus* compositis, ⲡⲓⲣⲱⲙⲓ exstitisse existimavit.

Πυραμίς. Stephan. Byz. Pyramus Aegyptiaca arabice هَرَم vocatur, cui verbo optime Coptitarum ⲣⲁⲙⲁ *altitudo,* monumentum altum respondet. Syllaba praemissa *πυ* est vel articulus masculini generis ⲡⲓ praepositus, vel ⲃⲏ *monumentum.* Cf. auctoris De lingua et litteris V. A. pag. 27.

P. R.

Ῥαύωσις, ὅ ἐστιν ἀρχικράτωρ. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, pag. 190 Dind. Coptice ⲟⲩⲣⲟ-ϣⲓϣⲓ *rex potens* optime huic Eratosthenis interpretationi respondet.

Remoboth. Tertium Monachorum Aegyptiorum genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum. Hieronym. ad Eustoch. de cust. virg. IV, II, 44. Coptice *coenobium* ⲁⲃⲏⲧ vocatur et videtur hoc Monachorum nomen Rem-oboth compositum esse cum voce vulgatissima ⲣⲉⲙ *homo*, ita ut *homines coenobii* (Klosterbrüder) eo significentur. Simili modo compositae voces sunt ⲣⲉⲙ ⲛ̀ ⲕⲏⲙⲓ *Aegyptii* (homines Aegypti), ⲣⲉⲙ ⲛ̀ ϫⲟⲙ *heroes* (homines fortitudinis), ⲣⲉⲙ ⲛ̀ ⲃⲁⲕⲓ *cives* (homines urbis) etc.

Σ. S.

Σαίρει. Τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα σαίρει καλοῦσι. Plut. de Is. et Os. c. 29. *Gaudium* enim ab Aegyptiis ϣⲁⲓⲣⲓ vocabatur.

Σάραπις. Ἐγὼ δὲ .... τοὔνομα εὐφροσύνην δηλοῦν οἴομαι καὶ χαρμοσύνην. Plut. de Is. et Os. c. 29. Cf. *Σαίρει.* Est enim ϣⲁⲓⲣⲓ *gaudium* et ϥⲟϣ *abundare*, inde ϣⲁⲓⲣⲓ-ⲉϥⲟϣ *gaudium abundans;* aliter interpretatur Clemens Alex. (Protrept. c. 4, §. 48), qui perhibet, eum esse *σύνθετον ἀπό τε Ὀσίριδος καὶ Ἄπιος*, ita ut proprie nomine *Ὀσίραπις* vocatus fuerit. Cf. ejusd. Stromm. I, 21, §. 106, pag. 139 Sylb.

Sauses. Coenobitae, quos illi Sauses gentili lingua vocant. Hieronym. ad Eustoch. de cust. virg. IV, II, 44 ed. Martian. Coptice fortasse ϣⲏϣ *consentientes.*

Σαῶφις κομήτης, κατὰ δὲ ἐνίους χρηματιστής. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 190 Dind. Jablonsk. Opusc. I, 271. *Comatus* coptice ⲉϥ-ϣⲏⲟⲩ vocatur, unde sine dubio Eratosthenes *Σαῶ-φις* finxit.

Σβῶ. *Ἡ παιδεία παρ' αὐτοῖς σβῶ καλεῖται.* Horap. hierogl. I, 38. Coptice *eruditio* re vera CBѠ nominatur.

Σέμβριται... οἱ παρὰ Ψαμμιτίχου φυγάδες Αἰγυπτίων· ἐπονομάζονται δὲ Σεμβρῖται, ὡς ἂν ἐπήλυδες. Strabo XVI. p. 770 et XVII, 786. Aegyptiace optime interpreteris hanc vocem ex verbis ϢЄΜΜΑ et ΒѠΡ, quae *peregrinos, e patria pulsos* significant, et Strabonis explicationem confirmant. Cf. Plin. H. N. VI, 30 *Semberritae.*

Σεμφρουκράτης, ὅ ἐστιν Ἡρακλῆς Ἀρποκράτης. Eratosth. ap. Georg. Sync. I, p. 205 Dind. Herculi enim Aegyptiorum ϪΟΜ *fortis,* Ebraeorum שֵׁם (I. Mos. V, 32) respondent, ita ut interjecto articulo masculini generis ΠΙ, ΠЄ nomen illud regis Aegyptiaci ϪΟΜ-Π-ϨΑΡΠΟΚΡΑΤΗϹ compositum sit. Cf. Tabul. Abyd. no. 39.

Σεμφῶς, Ἡρακλείδης (non *Πεμφῶς*) Eratosth. ap. Georg. Sync. I, p. 180 Dind. Recte Eratosthenes interpretatus est, cum Ebraeorum שֵׁם (Sem), Coptitarum ϪΟΜ (der Gewaltige) Graecorum Romanorumque Herculi respondeat. Cf. *Σεμφρουκράτης.* Inde ϪΟΜ-Π-ϢЄ *Herculis filium* significat. Congruenter tabula Abydena no. 5 *ǵom-hōb, ab Hercule fabricatum* legit.

Serin. In Aegypto cichorium vocant, quod silvestre sit, sativum autem *serin.* Plin. XX, 10; *σάρι, planta Aegyptiaca.* Theophr. hist. plant. IV, 8; *σαρίν, φυτόν τι γινόμενον ἐν τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἕλεσιν.* Hesych. Cf. Plin. hist. nat. XIII, 23. Coptice *calamus, juncus* ΡΗϹ, ϹΑΡΙϹ vocatur, atque inde in hieroglyphis regionem meridionalem Aegypti ΡΗϹ, ϹΑΡΗϹ appellatam significat.

Σήθ· ὅπερ ἐστὶ καταδυναστεῦον ἢ καταβιαζόμενον. Plut. de Is. et Os. c. 41. Coptice enim ϬΟΤ *vincere, subigere* significat. Idem auctor alio loco (c. 49) ita interpretatur: *φράζει δὲ τὴν πολλάκις ἀναστροφὴν καὶ πάλιν ὑπερπήδησιν.* Nec haec explicatio absurda est, cum *defector* in lingua antiqua ϢѠΤ vocaretur (I. Ros. I; text. Graec. l. 27 *ἀποστάντων*), quod nomen Typhoni maximopere idoneum est.

Σης cf. *Μωϋσης.*

Σίριος, *ὅ ἐστιν υἱὸς κόρης* (*ὡς δὲ ἕτεροι ἀβάσκαντος*). Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 190 Dind. — Coptice ϣⲉ-ⲁⲣⲟⲩ (ⲁⲗⲟⲩ) *filius puellae.* Si cum aliis *κόῤῥης* legimus, Eratosthenes hanc vocem ϣⲉ-ⲓⲣⲓ *filium oculi* interpretatur. Cf. *Ἶρι.*

Sistrum in lingua Aegyptiaca est tuba, cum qua Isis describitur. Apul. Metam. lib. XI p. 759 not. ed. Oudendorp. Coptice ⲥⲓⲥⲧⲣⲁ vocatur, at Graecae mihi videtur esse originis haec vox, a verbo *σείειν* ducenda, quam sententiam Plutarchi verba confirmant: *ἐμφαίνει καὶ τὸ σεῖστρον, ὅτι σείεσθαι δεῖ κ.τ.λ.* (de Is. et Os. c. 63). Accuratius describitur hoc instrumentum a Plutarcho loco modo citato his potissimum verbis: „Sistrum est superne rotundum; in margine ejus sunt quatuor bacilla, quae moveri possunt .... Summo margini sistri imposita esse solet felis imago, quae faciem humanam prae se fert, et sub bacillis modo memoratis ab altera parte Isidis ab altera deae Nephthys imago.“ Totius sistri imago saepius in inscriptionibus hieroglyphicis obvia, litteras ϫⲗ expressisse, et inde a veteribus Aegyptiis ϫⲁⲗ vel simili nomine vocata esse videtur.

Σιφθάς, *υἱὸς Ἡφαίστου.* Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 233 Dind. (non *Σιφόας*). Cf. Jabl. Opusc. I, 270. 311. Aegyptiace ϣⲉ-Ⲡⲧⲁϩ *filius Vulcani.*

Σμύ, cognomen Typhonis. Plut. de Is. et Os. c. 62 (*βίαιόν τινα .... ἐμφαίνειν βουλομένου τοῦ ὀνόματος*). Idem sine dubio nomen est ϫⲟⲙ (Sem) *fortis* (der Gewaltige) quo Herculem significatum vidimus. Cf. *Σεμφρουκράτης.*

Σοῦχος. Ὁ κροκόδειλος .... καλεῖται δὲ σοῦχος. Strab. XVII, p. 811. Coptice re vera crocodilus ⲥⲟⲩϫⲓ vocatur, quod nomen a verbo Arabico سوخ *natare* videtur esse derivandum.

Στοῖχος, *Ἄρης ἀναίσθητος.* Eratosth. ap. Georg. Sync. I, p. 180 Dind. Tabula Abydena (no. 20) eundem regem Aegypti מֹלֶךְ ⲙⲟⲩⲣ ⲁⲛ *Martem non ligatum* nominat; Prior vocis *Στοῖχος*

pars fortasse Coptitarum ϭⲱⲧ (*Σήθ*) cognomini Typhonis respondet, dum altera ⲟϫⲓ *injustum tyrannum* significat.

Σῶθι, cognomen Osiridis. *Σημαίνει δὲ κύησιν ἢ τὸ κύειν*. Plut. de Is. et Os. c. 61. In dialecto Thebaica enim gravida uxor ⲥⲉⲉⲧ vocatur.

Σῶθις. *Ἑλληνιστὶ δὲ Ἀστροκύων*. Hor. hierogl. I, 3. Coptice ⲥⲟⲑⲓⲥ. Cf. Hymnol. Taur. I, 18 sq.

Σως vid. *Ὑκσώς* Joseph. c. Ap. I, 14. ϣⲟⲟⲥ, ϣⲱⲥ *pastor*.

T. T.

Τάαυτος vid. *Θώθ* etc.

Tenites. „Candidarum dux est paederos .... nec gemmarum ulla est liquidior, laudatissima est in Indis, apud quos Sagenon vocatur. Proxima apud Aegyptios, ubi Tenites.“ Plin. H. N. XXXVII, 9.

Trochilos .... parva avis, quae *trochilos* ibi vocatur, rex avium in Italia. Plin. hist. nat. VIII, 25. Haec avis nomen habet a Graecorum verbo *τρέχειν* (Strandläufer) et Plinius erravit, hac voce ibi (in Aegypto) illam avem nominari perhibens, quae a Romanis *rex avium* (regulus, Zaunkönig) vocaretur.

Y.

Ὑκσώς (*Ὑκουσσώς*). *Τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες· τὸ γὰρ ΥΚ καθ' ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ ΣΩΣ ποιμήν ἐστι καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον*. Joseph. c. Ap. I, 14. Priorem syllabam *ΥΚ* sacrae tantum dialecto propriam confirmant monumenta hieroglyphica antiquissima, in quibus saepe *rex* singulis litteris consonantibus *B* et *K*, saepius syllabice accipitris (ⲃⲏϫ) imagine expressus occurrit; alteri syllabae *ΣΩΣ* vox demotica et coptica ϣⲱⲥ, ϣⲟⲟⲥ *pastor* respondet. Nec altera ejusdem auctoris interpretatio (*ἀλλὰ τοὐναντίον αἰχμαλώτους δη-*

λοῦσθαι ποιμένας) rejicienda mihi esse videtur, cum vox Coptica ⲂⲰⲔ *servum* quoque significet.

Ὑσῆς = ⲞⲨϪⲈ *servare*. Vid. *Μωΰσης* Jos. Jud. II, 9, 6.

Φ.

Φαραῶ· οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τοὺς βασιλεῖς ἑρμηνεύουσι. Euseb. cf. Georg. Sync. I, 117 Dind. Coptice *rex* cum articulo masculini generis ⲠⲒⲞⲨⲢⲞ vel ⲪⲞⲨⲢⲞ, ebraice פַּרְעֹה I. Mos. XL etc.

Φθᾶ· συντελῶν δὲ ἀψευδῶς ἕκαστα καὶ τεχνικῶς μετ᾽ ἀληθείας Φθά. Jambl. de myst. VIII, 3 .... *ᾠόν, ἐξ οὗ γεννᾶσθαι θεόν, ὃν αὐτοὶ προσαγορεύουσι Φθᾶ, οἱ δὲ Ἕλληνες Ἥφαιστον, ἑρμηνεύειν δὲ τὸ ᾠὸν κόσμον* Euseb. praep. evang. III, 11. In monumentis hieroglyphicis hoc Ammonis creatoris cognomen litteris consonantibus PTH scribitur (cf. Inscr. Ros.) et fortasse ⲠⲈⲦ-ⲦⲀⲨⲞ-ⲀϨⲈ *creator vitae* explicari potest. *Aegyptus* ipsa saepius ⲔⲀϨ-ⲠⲦⲀϨ *terra dei Ptah* nominatur.

Φουρῶν ἤτοι Νεῖλος. Eratosth. ap. Georg. Sync. I, 278 Dind. Hoc Nili nomen, nisi fallor, illud est notissimum ⲒⲀⲢⲞ (יְאֹר), praemisso articulo masculini generis ⲠⲒ, Ⲫ et adjecta terminatione Graeca; vid. *Giris*. Tabula Abydena (no. 51) huic ipsi regi alterum dat nomen *Busiris* (P-Osiris), cum et hoc cognomen sit Nili. Cf. Jabl. Panth. II, 126.

X. *Ch*.

Χάμψαι· καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι ἀλλὰ χάμψαι, Herod. II, 69. Coptice ⲈⲘⲤⲀϨ *crocodilus*, cum articulo masculini generis ⲠⲈⲘⲤⲀϨ, quod nomen Herodotus minus recte ab indigenis audiens, facile in *χάμψαι* mutare potuit. Cf. *σοῦχος* et *μενεφώθ*.

Χάρων .... πρωρεὺς, ὃν Αἰγύπτιοι κατὰ τὴν ἰδίαν διάλεκτον ὀνομάζουσι Χάρωνα. Diod. Sicul. I, 92, 96. Quodsi haec vox

re vera Aegyptiaca est, ab Orpheo ad Graecos translata (Diod. I, 96), fortasse ⲬⲀⲢⲞ-ⲞⲨⲞⲚ, *taciturnum* significat, qui silentio cadavera sepelienda trajiceret.

Χεμμώ, μεθερμηνευομένη δὲ Πανὸς πόλις. Diod. Sicul. I, 18. Coptice ⲬⲘⲒⲘ vel ⲬⲘⲒⲚ *Panopolis.* Conferas *Μένδην.*

Χενόσιρις (hedera), *σημαίνοντος τοῦ ὀνόματος φυτὸν Ὀσίριδος.* Plut. de Is. et Os. c. 37. Coptice ϢⲈ-Ⲛ̀-ⲞϢⲒⲢⲒ *planta Osiridis.*

Χημία Aegyptus (Plut. de Is. et Os. c. 33) *Ham, Cham* et *Kam* id., Ebraice אֶרֶץ חָם, Coptice ⲬⲎⲘⲒ et ⲔⲎⲘⲈ. In lingua sacra eodem nomine significabatur, syllabice modo leonis ungula (ϪⲘⲎ), modo loti arundine (ⲔⲀⲘ), modo libri volumine (ϪⲰⲰⲘⲈ) scripta. Alii hanc vocem aliter interpretantur. Plutarchus propter nigrum terrae colorem, Isidorus Hisp. propter calorem hanc regionem ita nominatam esse volunt. Neutra sententia absurda est, cum Coptice *color niger* ⲔⲎⲘ, ⲔⲀⲘ; *calor* ϦⲈⲘⲒ, ϨⲎⲘ vocaretur. Idem significat Ebraeorum חָמַם, Arabum حَمّ.

Χνοῦβος — Χρύσου υἱός. Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 190 Dind. Coptice ϢⲈ-ⲚⲞⲨⲂ *filius auri.* Cf. Tab. Abyd. no. 25.

Χουθὴρ Ταῦρος — τύραννος, Eratosthen. ap. Georg. Sync. I, 205. Tabula Abydena (no. 40) hunc regem congruenter *Uro-Neb-Ġom, regem dominum potentiae* vocat. Nomen Eratosthenis fortasse ⲞϪⲒ-ⲦⲎⲢ-ⲦⲀⲨⲢⲞ *tyrannus mundi validus* verti potest.

Χωμαεφθά, κόσμος Φιλήφαιστος. Erathosthen. ap. Georg. Sync. I, 205 Dind. — Salm. *Χωμαιφθά.* — Etsi de prima hujus nominis syllaba explicanda certi quidquam afferre dubito, tamen quae sequuntur *μαιφθά* Coptice ⲘⲀⲒ-ⲠⲦⲀϨ *amatorem Vulcani* significant; conferas Inscr. Ros., ubi saepissime Ptolemaeus V, Epiphanes ⲠⲦⲀϨ-ⲘⲒ *a Vulcano dilectus, ἠγαπημένος ὑπὸ τοῦ Φθᾶ* vocatur.

Χῶν· τὸν Ἡρακλῆν φασι κατὰ τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον Χῶνα λέγεσθαι. Etymol. M. s. *Χῶνες.* Potius *Χῶμ* legendum esse censeo, cum Herculis nomen Aegyptiacum fuisse ϪΟΜ (שֵׁם) *validus* jam supra viderimus. Vid. *Σμύ* et *Σεμφρουκράτης.*

Ψ.

Ψοτομπανήχ (Joseph. Antt. Jud. II, 6, 1) ebraice צָפְנַת פַּעְנֵחַ, cognomen Josephi in Aegypto, quod a diversis varie scribitur atque explicatur. Cf. *Ψοθομφάνηχος, Ψομ-Θομ-Φαν-Χθή* Chron. Pasch. I, p. 141 Dind.; *Ψομιθὸμ φαμνέχ* Theodoret. I, p. 106; Zaphanat Phaaneca Isid. Orig. VII, 4 etc. Optima interpretatio mihi videtur esse *σωτὴρ τοῦ κόσμου, salvator mundi,* Coptice Π-ⲤⲰⲦ-Ⲙ̀-Ⲫ-ⲈⲚⲈϦ, cum ⲤⲰⲦ *salvare,* ⲪⲈⲚⲈϨ *τὴν οἰκουμένην* significent.

Ω.

Ὧρος. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος. Herod. II, 156. *Τὸν δὲ Ὧρον μεθερμηνευόμενον φασὶν Ἀπόλλωνα ὑπάρχειν.* Diod. Sicul. I, 25. Vide *Horus.*

Ὤσχος· ὤσχον δὲ Αἰγύπτιοι καλοῦσι τὴν ἄμπελον. Cyrillus. Quae quidem vox Aegyptiaca in lingua Coptica recentiore omnino non servata est.

Typis Officinae Fr. Nies, Lipsiae.


THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS
WERT
BOOKBINDING
Grantville, Pa.
Sept.—Oct. 1987
We're Quality Bound

